OBSERVATIONUM BOTANICARUM,

PARS III.

NICOLAI JOSEPHI JACQUIN
S. C. R. A. MAJESTATI IN SUPREMO
DE RE METALLICA & MONETARIA HUNGARIÆ
INFERIORIS CAMERGRAFIATUS DICTO OFFICIO A CONSILIIS, CHEMIÆ METALLURGICÆ PROFESSORIS, ET SOCIETATIS
AGRICULTURÆ STYRIACÆ MEMBRI.

OBSERVATIONUM
BOTANICARUM,
ICONIBUS AB AUCTORE DELINEATIS ILLUSTRATARUM.

PARS III.



VINDOBONÆ
EX OFFICINA KRAUSIANA.

MDCCLXVIII.

AMPLISSIMO SPECTATISSIMOQUE

VIRO

LAURENTIO THEODORO GRONOVIO,

JURIS UTRIUSQUE DOCTORI, CIVITATIS LUGDUNO-BATAVÆ SCABINO, SOCIETATIS PHYSICO-MEDICÆ REGIÆ LONDINENSIS, BASILÆENSIS, ATQUE HOLLANDICÆ SOCIO,

DE HISTORIA NATURALI MERITISSIMO,

AB

INEUNTE ÆTATE AMICO,

TERTIAM HARUM OBSERVATIONUM PARTEM

Dicat

NICOL. JOSEPHUS JACQUIN

OBSERVATIONUM BOTANICARUM.

PARS III.

ERYTHRINA LAURIFOLIA.

Tab. 51.

ERYTHRINA foliis ternatis; foliolis lanceolatis.

Coral arbor exotica non ſpinoſa laurifolia. *Petiv. mus. 760.*

In herbario ſuo cum prædicto Petiveri titulo ſpecimen ſiccum poſſidet vir ampliſſimus Laurentius Theodorus Gronovius. Pro ſua ille in me benevolentia, atque a teneris ſumma neceſſitudine, tum etiam in ſcientiæ Botanicæ ampliationem, communicavit mecum rariſſimarum ſtirpium exemplaria numeroſa, duplicata donavit, conceſſitque petenti, quas minus recte cognitas crederem, has ut examinatas deſcriptasque publici facerem juris. Sunt itaque icones in hac parte novem priores ad ſiccam plantam a me delineatæ, ſumptæque ex ſicca deſcriptiones. Nunc ad Erythrinam revertamur, quæ in ſpecimine miſſo tota eſt glaberrima. Ramus ex ſtriato anguloſus, medullaque plenus, foliis decoratur inordinate alternis & ternatis. Petioli commu-

munes ſunt longi & antice leviter ſulcati. Foliola firma, integerrima, & acuminata. In petiolo communi inter foliolorum lateralium petiolos glandulæ binæ teretes locantur. Ille tunc ultra elongatur, atque aliis binis glandulis inſtruitur, ubi folioli terminalis petiolus exoritur. Pedunculi in cujuslibet axilla folii ſunt bini vel terni, pollicares, uniflori, tuberculo utrinque unico inæquales. Florum calyx eſt laxus, campanulatus, patens, & margine quinquefidus. Vexillum coriaceum & carina, longitudine fere æqualia, connivent. Alæ, calyce ipſo breviores, ſunt acutæ ac planæ. In omnibus ungues vix ulli. Stigma eſt acutum & ſimplex. Filamentum in uno examinato flore vidi ſimplex & novemfidum, in alio bifidum atque decemfidum. Hoc in delineatione expreſſi, una cum ſtylo, carina, ala, vexilloque vi expanſo. Non aderat fructus.

PHASEOLUS ACONITIFOLIUS.

Tab. 52.

PHASEOLUS volubilis; pedunculis ſubracemoſis; foliolis profunde lobatis.

Phaſeolus madraſpatanus, Aconiti folio. *Petiv. hort. ſicc. ined.*

Caulis ſtriatus, piloſus, herbaceus, atque, ut videtur, volubilis eſt. Folia glabra ternataque alternatim ponuntur. Petioli venæque dorſi primariæ piloſa ſunt. Foliola petiolata in tres lobos profunde ſecantur ex anguſto oblongos & acutiuſculos, quorum laterales integri ſunt, vel ſæpius lobo breviori augentur. Ex axillis pedunculi egrediuntur ſolitarii, piloſi, & quinqueflori. Flores exigui, vexillo amplo, ſtaminibus diadelphis ſtyloque ſpiraliter cum carina inflexis, calycis diviſi foliolis piloſis lineari - acuminatis & corollam longitudine æquantibus, ad apicem pedunculi racemoſe diſponuntur. Quum vero hæc mihi calycis dicta foliola in omnibus floribus bina dumtaxat invenerim, in unico terna, dubium manet, an non potius bracteæ meræ ſint, atque alius minimus calyx detur, quem ob floris ſicci parvitatem extricare haud valuerim? Stipula lanceolata acu-

mi.

minata & pilosa alas foliorum utrinque occupat. Fructus in specimine desideratur.

EUGENIA COTINIFOLIA.

Tab. 53.

EUGENIA pedunculis unifloris; foliis obovatis, obtusissimis.

Est in collectione Gronoviana hoc specimen, nullo addito loci natalis indicio. Materiem albidam cortex cinereus & glaber circumdat. Rami pars junior angulata est, adultior teres. Folia numerosa, obovata, obtusissima, integerrima vel rarius emarginata, coriacea, splendentia glabraque, breviter petiolata, ex adverso ponuntur. Pedunculi uniflori, tenues, pollicares, terni bini vel solitarii ex alis foliorum vel e gemmis prodeunt. Fructus globosi, alii calyce tetraphyllo coronati, alii deciduo hoc destituti, visi succulenti, nucem membranaceam unilocularem nitidamque includunt, semine unico foetam. *Sapor est in speciminis sicci foliis* & cortice vix ullus, in seminibus vero balsamicus ingratus, qualem in Eugeniis carthagenensibus hist. amer. pag. *152.* & 153. observavi, quæ certe non minus sub Linnæano Eugeniæ generico charactere militant quam Eugenia uniflora, cujus fructificationem sæpius in Martinica examinavi, ubi in hortis colitur ob fructus, qui cum saccharo optimum præbent condimentum. Incolis hæc dicitur *Cerisier de Cayenne* sive Cerasus cayennensis.

CHRYSOPHYLLUM CAROLINENSE.

Tab. 54.

CHRYSOPHYLLUM foliis obverse lanceolatis, obtusis.

Sub fruticis Carolinensis titulo a Sherardo olim in Gronovianam collectionem hoc specimen siccum venit. Habitus totus uti & floris character sunt Chyrsophylli. Rami lignosi cortex est glaber, striatus,

& fuſcus. Folia petiolata, integerrima, obverſe lanceolata, obtuſiſſima, baſi valde attenuata, facie nitida, ſubtus tomento ſericeo coloris ex cinnamomeo argentei veſtita, ramos ultimos ad ſemipollicares diſtantias alternatim per totam longitudinem ornant, ſub gemmis floriferis autem aggregatim ponuntur. Pedunculi ſemipollicares, tomentoſi, tenues, uniflori, numeroſiſſimi ſimul ex iisdem gemmis in ramulis biennibus oriuntur. Flores parvi calyce gaudent fuſco, & charactere ſequenti.

Cal. Perianthium pentaphyllum, perſiſtens? foliolis ovatis, obtuſis, concavis, ſubtomentoſis, conniventibus.

Cor. monopetala, campanulata. Tubus interne villoſus, longitudine calycis. Limbi parvi laciniæ quinque, ſubrotundæ, patulæ Squamæ aliquot etiam in petali limbo adſunt, quas rite diſtinguere non potui, & quæ forte laciniæ aliæ quinque interiores ſunt.

Stam. Filamenta quinque, brevia, corollæ tubo infixa. Antheræ lanceolatæ, magnæ, erectæ, acutæ, baſi obtuſæ bilobæque, longitudine petali.

Pist. Germen ſuperum, ovatum, hirſutum. Stylus ſubulatus, erectus, ſtaminibus brevior. Stigma ſimplex, obtuſum.

Pericarpii ignoratio dubium genus relinquit.

HYPERICUM LAUROCERASIFOLIUM.

HYPERICUM floribus monogynis; ſtaminibus corolla longioribus; calycibus coloratis; caule fruticoſo; . . .

Arbor Lauri folio; floribus ex foliorum alis pentapetalis, pluribus ſtaminibus donatis. *Catesb. car. p. 54. t. 54.*

Rami cortex glaber eſt & fuſcus; ad cujus extremitates folia alternatim exeunt pauca, coriacea, nitida, ſubovata, utrinque acuminata, ſerrulata, breviter petiolata, ſicca flaveſcentia. In horum alis, magis autem ex præteritorum foliorum cicatricibus aggregatim prodeunt flores ſeſſiles totique lutei; quibus ſequens eſt character.

Cal.

Cal. Perianthium pentaphyllum, parvum: foliolis ovatis, obtusis, concavis, corollæ concoloribus, patentissimis: ad basin similibus aliquot squamis fornicatis auctum.

Cor. Petala quinque, obovata, obtusa, patentissima, calyce quadruplo longiora, basi circa germen in tubum brevem erecta.

Stam. Filamenta coalita ad unam quartam partem in quinque corpora septem - vel decemfida, filiformia, corollam superantia. Antheræ subrotundæ, erectæ.

Pist. Germen superum, subrotundo - depressum. Stylus filiformis, staminum longitudine. Stigma obtusum, emarginatum.

Pericarpii cognitio docebit, an vere ad Hyperica sit referenda hæc arbuscula; in quam etiam quadrat Hyperici monogyni Linnæana determinatio. Atque his singulis propria tunc addenda veniet differentia, quam addere ego nequeo, qui Milleri citatas a Linnæo icones nedum vidi. Catesbæus arbusculæ truncum valde tenuem tribuit; ad octo aut decem pedum altitudinem excrescere illam, asserit; *flores pallere*; radicis decoctum esse in usu, virtutemque in illa prædicari sanguinem *purificandi*, & *roborandi* ventriculum: crescere autem in sylvis udis densisque in locis Carolinæ depressioribus.

DOLICHOS OBTUSIFOLIUS.

DOLICHOS volubilis, leguminibus racemosis, compressis, dispermis; foliolis rotundato - obovatis, subcoriaceis.

Phaseolus exiguus, glaber, trifolii foliis, siliqua plana, compressa. *Burm. Zeyl. 188. t. 84. f. 2.*

Ex communicato per clarissimum Gronovium sicco specimine Zeylanensi intellexi facile, omnino hanc cum Dolicho, quem sub minimi titulo in tabula vigesima secunda harum observationum delineavi, eandem non esse. Atque id jam conjici ex Burmaniana in Thesauro Zeylanico descriptione & figura poterat; quamobrem etiam Zeylonense synonymum a me ibidem omissum fuit. Nec minus dubitanter illic Linnæi Cliffortianum hortum citavi. Sunt fortasse Sloaneana (quæ omnino mea est,) Cliffortiana, & Burmaniana inter

ſe diſtinctæ ſpeciei tres plantæ. Ultimæ atque primæ verum diſcrimen ex comparata ſpeciminum inſpectione cognovi. Alteram judicet autopta Linnæus. Illa quidem habitu & partium magnitudine congruunt. In Dolicho autem hoc obtuſifolio caules folia & legumina ſunt glaberrima; foliola ſubcoriacea, lateralia obovata, intermedia magis ſubrotunda, figuram fere inverſam plantæ Sloaneanæ habent. In hac foliola tenuiora & caules pubeſcunt leviter, legumina admodum. Legumina in utrisque obſervo diſperma.

CONVOLVULUS JAMAICENSIS.

CONVOLVULUS foliis oblongis, obtuſis cum acumine ſtipulaceo, nudis; pedunculis ramoſis, multifloris.

Linum ſcandens flore dilute purpureo; ſemine triangulari. *Sloan. hiſt. jam. 1. p. 206. t. 130. f. 1.*

Tota planta glabra eſt. Caules teretes volubilesque frutices vicinos ſcandunt. Folia integerrima & baſi ovata, nec cordata, figuram habent ex ovato vel lineari oblongam. Obtuſa ſunt, ſed ſimul acumine ex nervo medio ultra paginas producto inſtruuntur. Pedunculi ex alis egrediuntur ramoſi, ſubbifidi, multiflori, ſæpe folioſi. Calycis foliola ſunt ovata & acuta. Corollæ tubus omnium eſt breviſſimus; limbi quinquefidi laciniæ oblongæ. Stigma bifidum. Antheræ oblongæ baſique haſtatæ. Cæterum magnitudine & figura petalum ſimile eſt convolvulo havanenſi; ſed non videntur laciniæ inferne tubum formare. Capſula glabra quadrivalvis & bilocularis ſemina hinc acuta illinc gibba quaterna continet. Diſſepimentum eſt cordatum. Cum convolvulo Linnæi verticillato multa videtur habere communia. Vivum non vidi.

ROSA

ROSA CHINENSIS.

Tab. 55.

ROSA germinibus ovatis, pedunculis, foliolisque utrinque glabris; ramis petiolisque aculeatis.

A Rosa indica ex Linnæi descriptione præcipue discriminatur foliolorum omnimoda nitidaque glabritie, & laciniarum calycis ciliata villositate. A congeneribus reliquis differt momentis aliis facileque dignoscendis. Plures rami in specimine Gronoviano eidem chartæ adglutinati sunt. In omnibus folium vere pinnatum desideratur: at habentur folia superiora ternata simpliciter; inferiora aucta hinc foliolo atque adeo pinnata, illinc eodem destituta.

Corollæ Color videtur fuisse ruber.

BANISTERIA MICROPHYLLA.

Tab. 56.

BANISTERIA foliis oblongis, obtusis, rigidis; racemis terminalibus.

In collectionem Gronovianam specimen siccum intulit celeberrimus Catesby, hinc fortasse carolinianum. Flos in illo expansus nullus conspicitur; sed examinatæ mihi gemmæ calycem exhibuerunt glandulis suffultum, petala ex unguibus longissimis bracteisque fimbriatis & rotundis composita, stamina decem, & stylos tres. Hæc, atque ipse etiam habitus, Banisteriæ genus indicant, etiamsi fructus desideretur. Ramus lignosus, fuscus, brachiatus, & glaber est. Folia oblonga, obtusissima, integerrima, nitida, crassa, rigida, venis adscendentibus numerosis utrinque notata, breviter petiolata, & opposita, etiam sicca læte virent, subtus pallidius. Florum racemi simplices, aut uno alterove ramulo aucti, solitarii, bini, aut terni ramulos terminant. Folia uvam ursi referunt.

POLYGONUM SETOSUM.

Tab. 57.

POLYGONUM floribus octandris, trigynis? axillaribus; foliis ſubulato - linearibus; ſtipulis ſetaceo - laceris; caulibus ſubfruteſcentibus.

Polygonum orientale, caryophylli folio, flore magno albo. *Tourn. cor. 39.*

A Vaillantio cum Turnefortiano titulo communicatum ſpecimen collectio Gronoviana habet. Radix fuſca & lignoſa perennare omnino videtur. Idem obtinet de caulium infima parte. Hi virgati, parum diviſi, glabri, ſtriati, ſubangulati, ſuperne foliis floribusque, cæterum ſtipulis ſolis ornantur; an baſi procumbentes, porro erectiuſculi? Folia ſunt acuminata integerrima & glabra. Stipulæ nitidæ, juniores candicantes, ſetaceo - laceræ, longæ. Flores octandri, majuſculi, axillares, an trigyni? ſolitarii & bini? Semen triquetrum & acuminatum eſt.

POLYGONUM ROMANUM.

Tab. 58.

POLYGONUM foliis anguſto - lanceolatis, crenulatis; caule procumbente.

Polygonum maritimum, Hiſpanicum, caulibus longiſſimis, calyce florum albo. *Tourn. inſt. 510.*

Polygonum majus, Romanum, longius radicatum, foliis Rorismarini, longiſſimis flagellis donatum. *Bocc. Mus. pag. 66 Tab. 58.*

Centinodia maritima, procumbens, ultra tres ulnas longa, floſculis albis. *Mentz pug.*

Ex ſynonymia adducta intelliguntur de plantæ habitu plura, quæ ex ſpecimine ſicco conjici nequeunt. Scilicet radix longa caules pro-

procumbentes longiſſimos emittit floſculis albis onuſtos. In ſpecimine omnia ſunt glabra. Folia utrinque admodum acuminata, tenuiſſime crenulata, & petiolata. Stipulæ membranaceæ, candicantes, ovatæ, acuminatæ, ſeniores laceræ. Flores pedunculati, axillares, gemini, magnitudine & figura Polygoni avicularis; in quibus numerum ſtaminum extricare haud valui. An a Polygono Linnæi ſerrato diſtinctum?

COMMELINA DUBIA.

Tab. 59.

COMMELINA? ſpathis unifloris.

Anonymos aquatica graminifolia, Potamogitionis facie; flore nudo pente-vel hexapetalo, petalis longis anguſtis: ſtaminibus tribus erectis, apicibus recurvis, petalis brevioribus: Stylo unico erecto ſubulato, longitudine fere ſtaminum; ſtigmate truncato, fuſco. Flos e ſpathæ longæ anguſtæ ancipitis fiſſura prodit. *Clayt. num. 814.*

Ex ſynonymo Claytoniano eluceſcit, quid in planta viva obſervaverit detector, qui addit, collegiſſe ſe illam haud procul a montibus in rivulo Jacobi dicto, Julio menſe florentem, & decem longitudine pedes ſuperantem. In ſpecimine unicus flos conſpicitur, quem ſuo delineavi ſitu. In quorumdam foliorum alis inveni involutas gemmas alias, quæ in ſpatha minima florem ſolitarium, ſeſſilemque adhuc, includebant. Hos omnes triandros vidi; & germen teres ſuperumque in ſtylum tenuem cum ſtigmate capitato ac obtuſo deſinens. In his tamen de petalorum numero nihil certi ſtatuere potui, quæ quinque vel ſex numeraſſe ſe ait Claytonus. Spatha monophylla, anceps, longitudinaliter hinc fiſſa, ad apicem mucrone aucta, incurva, axillaris, pedunculo eſt brevior. Tota planta glabra eſt. Caules teretes. Folia linearia, acuta, alterna, & integerrima. De fructu nihil innotuit. Ad Commelinas retuli interea; quamvis jam ex flore omnino videatur novum genus exigere.

BRIZA MAXIMA.

Tab. 60.

BRIZA ſpiculis racemoſis.

Briza ſpiculis cordatis, floſculis ſeptemdecim. *Linn. ſp. pl. 4. pag. 103.*

Briza ſpica nutante ſimplici; ſpiculis alternis, ſubſolitariis; pedunculis ſimplicibus bifidisque; calycibus quindecimfloris, *Gouan. hort. monſp. 5. pag. 46.*

Briza ſpiculis ovatis, floſculis ſeptemdecim. *Sauv. 37.*

Gramen tremulum maximum. *Bauh. pin. 2. Scheuz. agroſt. pag. 202. tab. 4. fi. 7.*

β Briza ſpica nutante ſimplici; ſpiculis alternis pedunculatis ſubſolitariis ovatis; calycibus quinquefloris. *Gouan. monſp. 1. pag. 45.*

Gramen tremulum maximum. *Bauh. prodr. 5.*

Deſcriptio graminis elegantis apud Scheuchzerum & Gouanum citatis locis legi poteſt. Quamvis glumæ valde concavæ dorſo leviter protuberent, ſpiculas tamen nullatenus cum Linnæo cordatas dixero; ſunt enim Brizæ mediæ ſpiculis quoad baſeos figuram ſimillimæ; quare ovatas rectius jam vocavit Sauvageſius. Culta annua eſt. Numeroſæ quotannis ex ſeminibus in horto meo enaſcuntur, ſtatura palmari vel pedali; quibus ſpiculæ candicant, ſtriis virentibus variegatæ, cum glumis magis minusve fuſceſcentibus aut purpureis. Floſculi numero valde variant, in eadem ſpicula a quinque ad quindecim. Videtur mihi propterea Briza monſpeſſulana Guoani, ab hac maxima, ſpecie nequaquam differre; tum quod etiam monſpeſſulanæ ſpecimina poſſideam, quorum in ſpiculis floſculi novem locentur. Juniores ſpiculas in Briza quoque maxima ſæpius toroſas, nec compreſſas, vidi. Spiculæ pedunculis capillaribus propriis ſimpliciſſimisque alternatim e culmo oriuntur, infimis rariſſime bifidis, minus raro geminis. Hac nota a congeneribus facile dignoſcitur. Proximæ Brizæ minoris pedunculi inferiores ſemper bi-

fidi,

fidi, interdum etiam trifidi ſunt. Reliquarum multo magis diviſi. Spiculas itaque dixi racemoſas, quæ in cæteris paniculatæ.

PAULLINIAE.

Tab. 61. & 62.

Duabus hiſce tabulis Paulliniarum, quas novi, omnium folia exhibeo, ut ex his ſolis diſtingui ſpecies ab invicem poſſint. Aſiatica excepta, Linnæanas omnes vivas in America vidi, nec non triternatatam & carthagenenſem. Nodoſam vero, barbadenſem, diverſifoliam, tomentoſam, atque caribæam ſolummodo ſiccas. Ex Plumieri iconibus mutuavi folia Paulliniæ Serianæ, cururu, mexicanæ, & polyphyllæ: ex Burmanno aſiaticæ, quam nec ſiccam contemplari contigit. Dignoſcuntur itaque

PAULLINIA ASIATICA Linnæi *foliis ternatis; petiolis cauleque aculeatis.* Fig. 1.

PAULLINIA SERIANA ejusdem *foliis ternatis, petiolis inermibus, nudis; foliolis ovato-oblongis.* Fig. 2. Foliola ſæpe etiam ſunt breviter petiolata, nec adeo ſinuata, uti in icone Plumeriana. Petiolus communis interdum tres pollices longitudine æquat.

PAULLINIA NODOSA Jacq. enum. amer. pag. 35. *foliis ternatis; petiolis inermibus, nudis; foliolo medio obovato.* Fig. 3.

PAULLINIA CURURU Linnæi *foliis ternatis; petiolis marginatis* Fig. 4.

PAULLINIA MEXICANA ejusdem *foliis biternatis; petiolis omnibus marginatis; caule aculeato.* Fig. 5.

PAULLINIA CARTAGENENSIS *foliis biternatis; petiolis omnibus marginatis; caule inermi.* Fig. 6. Inveni creſcentem circa Carthagenam jndicam in fruticoſis. Congeneres inter reliquas hæc habet folia magis inciſa, & valde tenuia, quæ in aliis enumeratis omnibus plus minus coriacea craſſaque ſunt. Tota aculeis caret.

PAULLINIA CARICÆA *foliis biternatis: petiolis partialibus omnibus marginatis; petiolo communi nudo ramisque aculeatis.* Fig. 7. Rami & petioli communes aculeis numeroſis recurvisque armantur. Foliola ſubovata inciſuris raris excinduntur. Habitat in Caribæis.

PAULLINIA CURSSAVICA Linnæi *foliis biternatis: petiolis partialibus omnibus submarginatis*; *petiolo communi nudo, inermi.* Fig. 8. In icone Plumeriana petioli videntur nudi; sunt tamen, excepto communi, omnes margine aucti, sed tam exiguo, qui in icone apte exprimi vix possit.

PAULLINIA BARBADENSIS Jacq. enum. amer. pag. 36. *foliis biternatis; petiolo folioli intermedii marginato, reliquis nudis.* Fig 9. A præcedente differt foliorum præprimis figura & leviori nec tam frequenti incisione.

PAULLINIA POLYPHYLLA Linnæi *foliis triternatis; pedunculis partialibus nudis.* Fig. 10.

PAULLINIA TRITERNATA Jacq. hist. amer. pag. 110. *foliis triternatis*; *pedunculis partialibus marginatis.* Fig. 11.

PAULLINIA PINNATA Linnæi *foliis pinnatis, nitidis.* Fig. 12.

PAULLINIA TOMENTOSA Jacq. obs. 1. pag. 19. *foliis pinnatis tomentosis.* Fig. 13.

PAULLINIA DIVERSIFOLIA Jacq. enum. amer. pag. 36. *foliis supradecompositis; foliolis infimis interdum pinnatis, reliquis ternatis.* Fig. 14.

SYMPHYTUM TUBEROSUM.

Tab. 63.

SYMPHYTUM radice tuberosa.

Symphytum foliis summis oppositis. *Linn. sp. pl. 2. p. 194.*

Symphytum tuberosum. *Clus hist. CLXVI. Bauh. hist. 3. p. 593.*

Symphytum majus, tuberosa radice. *Bauh. pin. 259.*

Symphytum minus, tuberosa radice. *Bauh. pin. 259.*

Symphytum foliis ovato-lanceolatis decurrentibus, flore flavo. *Scop. carn. 1. β. pag. 443?*

Crescit passim per Austriam, ac copiosissime quidem per omnem Schemnitzii in Hungaria viciniam, in sylvis ad earumque margines, sub fruticibus, atque etiam non raro in apricis pratensibus sylvæ proximis. Numerosissima ego individua examinavi, comparavi-

raVique cum non paucioribus Symphytis officinalibus; atque utut primo intuitu ab invicem diſtinguebam facile, non tamen idoneæ ſuppetebant notæ, quibus idem hoc diſcrimen exprimerem. Decurrunt quidem communiter in Symphyto officinali per caulem, ſæpe integrum, multo magis quam in tuberoſo folia, redduntque hinc illum anguloſiorem. Sunt in eodem frequenter omnia hiſpidiora. Tum etiam folia ſumma ſæpius ſubalternantur. At hæc non ſunt perpetua. Sæpe in tuberoſo folia per caulem ſolito longius decurrunt, minus iterum ſolito in pluribus Symphyti officinalis individuis; unde veluti in medio ſic termino nota hæc diſtinctiva confunditur, & diſparet. Idem aſſerendum de hiſpiditate, nec minus de foliorum ſummorum iſta alternatione, quæ in officinali æque crebro opponuntur, quam viciſſim in tuberoſo alternantur. In floris ſtructura, præter utrique communes variationes, nihil diverſi videre potui. Verum certumque diſcrimen obſervo in florendi tempore, in ſolo natali vulgariori, in creſcendi habitu, ac præprimis in radice. Floret tuberoſum Majo, ita ut ſub Junii finem vix amplius florentem conſpexeris. Officinale Junio primos expandere flores ſolet, pergitque per magnam æſtatis partem. Hujus itaque reſpectu tuberoſum præcox eſt. Solum natale umbroſum ſubhumidumque amant ambo; ſed tuberoſum præprimis ſylvatica & fruticoſa, ubi rariſſime offenderis officinale, quod ad margines fruticoſos viarum, in hortorum cultorumque fimetis, & ruderibus, atque adjacentibus paſcuis, per totam ferme Europam invenire eſt. Habitus eſt tuberoſo, quam officinali, multo tenerior; ſtatura minor; folia, racemi, flores, caules, ramique pauciora. Sed his omnibus quis terminum figet? quis apte exprimet? Radix ſemper & quam maxime diſcrepat; quæ in tuberoſo eſt tuber oblongum, ramoſum aut ſimplex, intus atque extus albicans, fibrillis tenuibus auctum. Officinale radicem habet ſubfuſiformem, ſolitariam vel ſæpius plures, pedalesque digitum, & ultra craſſam, teretem nec tuberoſam, extus nigricantem; qua ſola in omnibus individuis a tuberoſo ſtatim diſtinguitur. Tabula exhibet plantam in ſtatu communiori. Tuberoſo corollæ ſemper ex flaveſcenti albeſcunt. Officinalis plerumque pur-

purpureæ, rarius albidæ sunt. Clusii icones, uti innuit ipse, minus congruunt.

TRIFOLIUM ALPESTRE.

Tab. 64.

TRIFOLIUM spicis subglobosis, villosis, terminalibus, sessilibus; caule erecto; foliolis lanceolatis, serrulatis. *Linn. sp. pl. 21. pag. 1082.*

Trifolium spicis villosis, subovatis; caule erecto; foliis ovato-oblongis, integerrimis. *Roy. lugd. 380.*

Trifolium montanum purpureum, majus. *Bauh. pin. 328.*

Trifolium majus secundum. *Clus. hist. pag. CCXLV.*

Trifolium majus Clusii secundum, non album, sed rubrum. *Bauh hist. 2. p. 375.*

In Austriæ & præprimis Hungariæ pratis montosis sylvaticis, uti & ad margines sylvarum, frequens cresit; ubi Junio & Julio floret; Trifolio montano paulo serior, & pannonico præcocior semper; quæ tres Trifoliorum species in agro Schemnitzensi mixtim vegetant. Nomen alpestre non meretur. Radix tenuis longa ac perennis unicum vel plures caules producit, a quatuor ad decem pollices altos, erectos, teretes, firmos, villosiusculos, in planta sylvestri rarissime ramosos. Hos ornant folia intus glabra, extus hirsuta, serrulata, acuta, alterna, ex stipulis petiolata, margine interdum purpurascente. Summorum oppositorum dilatatis stipulis insidet spica subrotunda, vel solitaria, vel plerumque duplex, quarum altera ad totam ferme florescentiam præcocior altera est. Villosi calycis dentes quatuor sunt brevissimi, quintus inferior longissimus. Corolla monopetala ex purpureo rubet; vexillo alis atque carina longitudine fere æqualibus. Legumen fere compressum & monospermum in calyce occultatur.

SE-

SENECIO NEMORENSIS.

Tab. 65. & 66.

SENECIO corollis radiantibus quinis; foliis lanceolatis, ſerratis, ſeſſilibus

Senecio foliis ovato-lanceolatis ſubtus hirſutis, floribus umbellatis. *Hall. helv. 734. itin. 23.*

Senecio corollis radiantibus octonis, foliis lanceolatis biſerratis ſubtus villoſis, caule ramoſo. *Gouan. monſp. 441? Linn. ſp. pl. 30. p. 1221.?*

Ex eadem radice perenni, fibroſa, nec reptante, pauci vel unicus caulis aſſurgit ſeſquipedalis vel tripedalis, erectus, teres, ſuperne ſæpe leviſſime angulatus aut raro ſulcato-ſtriatus, totus pallide virens, vel hic illic ſimul varie purpuraſcens, glaber nitensque aut hirſutus, digitum minimum vel pennam anſerinam craſſus. Hunc totum ad pedunculos uſque folia obſident inordinate alternantia, ſuperiora gradatim ubique minora ut flores altitudine non excedant, ſumma hinc minima. Sunt autem lanceolata, acuminata, ſeſſilia, ſerrata, infima pro caulium magnitudine ſex vel tres pollices longa, ſuperne glabra. Subtus in aliis plantis hirſuta aut villoſa ſunt, in aliis nitida. Denticuli quidem in nullis foliis valde æquales conſpiciuntur; deſideratur tamen in pluribus biſerratio; quæ in aliis iterum evidentiſſima eſt. Rami pauci vel plures ex foliorum ſuperiorum alis ad angulum acutum eriguntur, & flores omnes in corymbum compoſitum colligunt. Pedunculi ſunt varie ramoſi ſimulque ſubumbellati. Flores odorem & fragrantiam Collinſoniæ mire æmulantur, conſervantque diu. Florum calycis ſquamæ decem circiter baſi laxe augentur ſquamulis linearibus aliis ut plurimum quinis. Radius ex corollulis fæmineis ligulatis, patentiſſimis, flavis, ex ovali oblongis, emarginatis, & perpetuo in planta ſylveſtri Pannonica Auſtriacaque quinis, rariſſime quaternis componitur, in culta a me viſis pluribus. Diſcum conſtituunt hermaphroditi tubuloſi

duo-

duodecim aut paulo plures. Inveni etiam ad rivulos haud procul a Danubio in locis apricis hujus speciei plantas, humanam altitudinem æquantes, floribus vix odoris, foliis crassis & pinguibus, quale unum tabula 66. repræsentat sub littera *a*, una cum aliorum individuorum variantibus foliis. Hæc omnino convenit cum Doria orientali, Limonii folio Dillenii, in horto Elthamensi pag. 125. descripta, & tabula 105. icone expressa.

POLYGALA TRICHISPERMA.

Tab. 67.

POLYGALA floribus cristatis, spicatis; foliis subulatis, sparsis; seminibus aristis circumvallatis.

Crescit hæc planta in Regno novæ Grenadæ. Radix perennis lignosa & multiceps emittit caules herbaceos, virgatos, striatos, foliosos, erectos, tenues, simplicissimos aut uno alterove ramo auctos. Hos per totam longitudinem folia vestiunt sparsa, superiora sensim minora, summa hinc exigua, ex lanceolato subulata, aucta, numerosa, infima interdum superne latiora obtusaque. Spicæ densæ, pollicares, oblongæ, tenues, caules ramosque terminant. Florum albicantium? character Linnæanus est. Carinæ tamen est appendix nullus, sed hujus loco superior pars multifariam discissa est, ut cristatas inter collocarem. Semina conica sunt, & nigredine sua per tenuissimas capsulas pellucent. Aristis longis externe ambiuntur, quibus fit, ut levissima compressione ex capsulis dehiscentibus exsiliant. Carinæ, alæ, folioli calycini, capsulæ, & seminis figuras apposui magnitudine auctas. Vivam non vidi. Carina alas longitudine æquat. Cum Polygala incarnata affinitatem non levem habet, abunde tamen diversa.

CI-

CISTUS ÆGYPTIACUS.

Tab. 68.

CISTUS herbaceus, erectus, ſtipulatus; foliis ſublinearibus; calycibus inflatis, corolla majoribus. *Linn. ſp. pl. 26. pag. 742.*

Ex ſeminibus, in horto meo ſub dio ſatis, enatæ copioſiſſimæ plantulæ, jam altero ætatis menſe flores produxerunt. Erectæ quidem, ſed debiles, pondere fructuum preſſæ tandem verſus terram inclinantur. Radix annua fibroſa & albicans unicum caulem emittit. Rami teretes & calycum ſæpe anguli leviter pubeſcunt. Folia nitida, craſſiuſcula, & facie per nervum medium ſulcata, brevibus petiolis mutuo opponuntur, figuramque habent ſublinearem utrinque attenuatam. Stipula petiolis ex utraque parte adſtat ſubulata. Pedunculi cum axillares, tum laterales, vel ex dichotomia caulis, nullum ordinem certum ſervant, ſolitarii tamen ſemper. Flores cernui & inodori ſunt. Calycis tria foliola interiora maxima, ubi albeſcunt, pellucent, ut petala transpareant: quam maxime autem extrorſum elevatis longitudinalibus rugis ſaturate purpuraſcunt. Foliola exteriora duo, bracteolis ſimiles, virent. Calyx raro aperitur, ſed in clauſo peragitur fæcundatio. Petala quinque, flava, oblonga, erecta, calyce duplo breviora, emarginata aut obtuſa aut acuminata; quorum varietates ſiſtunt figuræ adjectæ. Stamina quinque, vel ſeptem, nunquam viſa a me plura. Capſula unilocularis & trivalvis. Cætera congruunt charactéri Linnæano. Semina matura perficit, quæ ſponte e capſulis delapſa, eodem adhuc autumno germinant; ſuperveniente vero hyeme pereunt. Folia nullibi ſunt congeſta. Eſt itaque diverſiſſima a planta zeylanica Burmanni in theſauri tabula 36 exhibita.

ASCLEPIAS GIGANTEA.

Tab. 69.

ASCLEPIAS foliis amplexicaulibus, baſi interne ad petiolum crinitis.

Asclepias foliis amplexicaulibus, oblongo-ovalibus. *Linn. sp. pl. 2. pag. 312.*

Asclepias frutescens incana, foliis majoribus subrotundis, petiolis brevissimis, floribus umbellatis. *Brown. hist. jam. 1. pag. 182.* apud quos vide Synonymiam reliquam.

Videtur elegans hæc planta post Sloanei demum tempora in jamaicam introducta fuisse; quum vir ille celeberrimus in historia sua nullam ejusdem mentionem facit; ubi tamen illa nunc vere sylvestris in pratis oppido Kingston vicinis læte excrescit. A pecude hic pascente intactam semper observavi. In hortis cultam quoque vidi, atque excrevisse in arbusculam homine duplo altiorem, trunco brachium crasso. Cortex externe albicat. Rami sunt pauci, iidemque crassi & longi; quos folia superne tantum ornant, inferne delapsa nudos relinquunt. Folia sunt opposita, obverse ovato-oblonga, breviter petiolata, integerrima, acuta, molli atque albicante obducta lanugine, quæ manu fricante abscedit. Basi cordata caulem amplectuntur. Nervus medius ad ortum petioli antice pilis rigidis fuscisque instruitur. Pedunculi sunt axillares, umbellatim racemosi. Calyces ex flavescente albicant. Corollæ niveæ sunt; externe totæ. Interne ab apice macula purpurea decurrit, quæ in albedinem inæqualiter abrumpitur. In figura hæ maculæ per nigredinem laciniarum petali designantur. Nectarium etiam niveum est, margine laminarum superiori purpureo. Corpusculum genitalia tegens ex viridi flavescit. Quomodo igitur suos flores appellat croceos Alpinus? De eademne stirpe loquitur? Præterquam in Jamaica plantam non offendi; ubi florebat Februario mense. Lactescit tota.

PANICUM FILIFORME.

Tab. 70.

PANICUM spicis subdigitatis, approximatis, erectis, filiformibus: rachi flexuosa, dentibus bifloris: altero sessili. *Linn. sp. pl. 15. pag. 85.*

Ex

Ex ſeminibus Aprili menſe ſub dio terræ mandatis, poſt aliquot dies, plantæ ſunt enatæ, quæ læte vegetarunt, a Julii fine floruerunt in ſerum uſque autumnum, quando prima ſuperveniente pruina illico aduſtæ perierunt. Semina igitur pro varia autumni clementia variam maturitatem capiunt. Ex radice fibroſa & annua culmus initio unicus exſurgit, unum alterumve pedem altus, & ramoſus. Hunc ætate provectiorem ſtipant alii plures. Omnes ſubere&ti, geniculati, ac majus minusve inflexi, ex geniculis infimis (ſi quando hæc magis inclinata terræ accumbunt, uti in icone repræſentavi,) radiculas terræ immittunt. Pallent ex viridi, ſunt nitidi teretesque, ſulcato dumtaxat ramulos ſpectanti latere. Folia ex lineari lanceolata & glabra aut piloſiuſcula in umbroſis e vagina ortum ducunt compreſſa ſtriata piloſaque. Ramos terminant ſpicæ numero incerto valde a tribus ad novem, ortu ut plurimum inæquali oppoſito alternove ſitu, ſubdigitatæ quidem ſed tamen varie diſtantes, quinque vel ſex pollices longæ, glabræ, filiformes, tenues, raræque. Rachis dorſo plana, antice per lineam mediam longitudinalem elevata, hinc triangularis, ſerpentino ductu tota flectitur. In quolibet alternanti rachis denticulo flores locantur bini, alter fere ſeſſilis, ſupra hunc peduncello proprio non admodum elevatus alter. Hi peduncelli jam infra rachis medietatem, idque præcipue in vegetioribus, floſculos ſæpe geminos racemoſe gerunt; infimi ternos quaternosve; & cum his quidem, loco floris ſeſſilis, pedunculus biflorus alter non raro ſpectatur; unde hic tunc claudicat Linnæana determinatio; quæ in rachis partem ſuperiorem ſolam perpetuo quadrat. Floſculi acuti Linnæano Panici charactere omnino gaudent; glumæ valvulis ſtriatis; ſtigmatibus purpureis; antheris ſulphureis.

GENTIANA BAVARICA.

Tab. 71.

GENTIANA corolla quinquefida, infundibuliformi, ſerrata; foliis obtuſis. *Linn. ſp. pl. II. pag. 331.* ubi vide ſynonymiam.

SCABIOSA SYLVATICA.

Tab. 72.

SCABIOSA corollulis quadrifidis, radiantibus; foliis omnibus indivisis, inferioribus ovatis, summis lanceolatis integerrimis; caule hispido. *Jacq. obs. part. 1. pag. 28.* ubi vide synonymiam & descriptionem.

Clarissimus Linnæus corollulas æquales dicit, radiantes ego. Discrimen quidem inter corollulas extimas atque interiores quoad figuram tantum non est, quantum in ochroleuca exempli gratia obtinet; extimæ tamen laciniis suis longioribus radiantis speciem habent. Semen, sive hujus involucrum mavis, ex oblongo ovatum, subtetragonum, leviter pilosum, coronatur margine exteriore vix conspicuo, calyculo interiori autem campanulato, in septem octove setas abeunte inæquales. Fructus convexus vix a Scabiosæ arvensis fructu distinguitur. Hic una cum corollulis utriusque generis ad latus figuræ habetur.

SCABIOSA OCHROLEUCA.

Tab. 73. & 74.

SCABIOSA corollulis quinquefidis, radiantibus; foliis linearibus, pinnatis; radicalibus bipinnatis; petiolis perfoliatis. *Linn. sp. pl. 23. pag. 146.*

Scabiosa multifido folio, flore flavescente. *Bauh. pin. 270. Moris. hist. 3. p. 48. s. 9. t. 13. f. 23.*

Scabiosa VII. *Clus. hist. III.*

Radix perennis, ex fusco albicans, tandem digitum crassa lignosaque, caulem profert solitarium (aut etiam plures) teretem, æqualem, nitidum ex integro, vel contra etiam integre aut dumtaxat inferne pubescentem, pallide virentem, sed basi sæpius & ad

folio-

foliorum alas purpurascentem, idque non raro saturatissime, pedalem vel tripedalem, & erectum. Hujus divisio primaria dichotoma est; reliqua per pedunculos elongatos perficitur, pro plantæ varia magnitudine frequentior rariorve atque inæqualis. Folia radicalia sunt in plantis primi anni, æque ac caulina infima, obverse lanceolata, integra, inæqualiter serrata, quandoque una alterave serratura pinnatifide incisa, in petiolum longum attennuata, utrinque subtomentosa vel glabriuscula. Hæc in annosioribus magis magisque inciduntur, ut pinnatifida vel subbipinnatifida evadant; accedente etiam tunc glabritie majore. Folia caulina glabra, summa simplicissima, proxima pinnata, infima bipinnatifida; pinnulis scilicet linearibus acutis ac confluentibus; petiolis basi connatis. Foliorum divisio in plantis majoribus etiam multo major obtinet. Inveni etiam folia (exceptis summis integerrimis) totius plantæ omnia pinnatifido-incisa, qualia figuræ a. b. c. indicant. Figura d. folium est infimum plantæ majoris, quam tabula 73. exhibet. Figura e. simile folium est alius individui. Figuræ f. g. h. folia repræsentant plantæ primi anni, quorum hoc tomentosum. Patet itaque, quam difficulter Scabiosa hæc foliorum descriptione determinetur, & distinguatur a congeneribus pluribus. Florum constans color pallide sulphureus & facies speciem illico indicant. Perianthium proprium interius quinque setas habet. Semen, sive potius hujus involucrum, ovatum, octosulcatum, basi villosum, margine membranaceo coronatur. Fructus est ovatus. Delineavi insuper ad latus florem radiantem, alterum ex disco, & semen.

NEPETA LANATA.

Tab. 75.

NEPETA, floribus sessilibus, verticilato spicatis; bracteis ovatis, longitudine Calycis; foliis inferioribus petiolatis, superioribus sessilibus.

Radix perennis constat e tuberibus variis carnosis, subrotundis aut fusiformibus, insipidis, intus albidis, cortice tenui fusco obductis, fibrillis auctis. Primo anno folia radicalia, altero caules florentes producit plures. Hi tetragoni, viscosi, villis albicantibus longisque obsiti, pedem unum aut sesquipedem alti, annui, vel ex integro eriguntur, vel basi interdum procumbunt, qualem icon habet. Folia ex cordato oblonga, obtusiuscula, crenata, rugosa, viscosa, utrinque villosa, opposita, infima petiolata, superiora sessilia, graviter odorata. Spicæ sessiles caules ramosque terminant, primariæ tres quatuorve pollices, rameæ vix unum aut sesquipollicem longæ. Componuntur ex verticillis, inferioribus quandoque remotis, reliquis dense approximatis, hinc spicam referentibus, eoque id magis, quo folia superiora ad verticillos sensim bracteis similiora evadunt. Sunt autem hæ ovatæ, acuminatæ, longitudine calycum, & margine purpurascentes; insidentque pedunculo communi brevissimo in folii axilla. In his singulis pedunculis flores sedent tres, quinque, vel septem; totidem fere bracteis *suffulti.* Calyces sunt striati, & pilosi. *Corollarum labia leviter* purpurascunt. Faux pallescens ad originem labii inferioris punctis etiam purpureis villisque paucis notatur. Faucis laciniæ non reflectuntur, sed patent. Labium superius est convexum. Semina fusca, hilo albo. Reliqua in charactere sunt Nepetæ Linnæanæ. Cultam descripsi, e seminibus enatam a clarissimo Willichio missis. Plantæ villositas diversa est in diversis, variatque etiam pro ætate.

Nota. Mygarum sphærocarpum in parte secunda est Linnæi Crambe hispanica. Omisit sculptor in tabula 46 partem folii Passifloræ nigræ microscopio conspecti auctique, quare in tabula 66 addendam curavi sub littera *b.*



Erythrina laurifolia.



Phaseolus aconitifolius.



Eugenia cotinifolia.



Chrysophyllum carolinense.

T. 55.



Rosa chinensis.

T. 56.



Banisteria microphylla.



Polygonum setosum



Commelina dubia.

T. 58.



Polygonum romanum.

T. 59



Commelina dubia.



*Briza * maxima.*


fig. 4.
fig. 5.

T. 61.



Paulliniarum




fig. 3.
fig. 1.


T. 62.
fig. 3.
fig. 12.
fig. 1.
fig. 7.
fig. 9.
fig. 14.
fig. 6.
fig. 11.
folia.



Symphytum tuberosum.



Trifolium alpestre.



Senecio nemorensis.



Senecionis nemorensis folia.





Polygala Trichisperma.

T. 68.




Cistus ægyptiacus.



Asclepias gigantea.







Panicum filiforme.



Gentiana bavarica.



Scabiosa ochroleuca.



Scabiosa sylvatica.





Scabiosa ochroleuca.

T. 74.



Scabiosæ ochroleucæ folia.



Nepeta lanata.